

H.N.Zool.
XIII
5085

8° Zoolog. 24473


XIII, 5085

#G-FB

SUB Göttingen
113 577 621

7





DE
VI VITALI SANGVINI NEGANDA
VITA AVTEM PROPRIA
SOLIDIS QVIBVS DAM
CORPORIS HVMANI PARTIBVS

AD SERENDA
CVRAE ITERATAE
QVIBVS
SEPTENIS MEDICINAE CANDIDATIS DIGNISSIMIS
POST HABITA ACADEMICARVM DISPUTATIONVM SPECIMINA
AVTVMNO A. PR.

SVMMOS IN MEDICINA HONORES
RITE COLLATOS ESSE
INDICIT
ORDINIS MEDICI TVNC TEMP. DECANVS

JO. FRID. BLUMENBACH
M. D. ET P. P. O. M. BRITANN. REGI A CONSIL. AVL.

G O T T I N G A E
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH. 1795.

DE

ALVATI SANCTI LEGENDA

ALVATI SANCTI PROPHETIA

SOLIDIS LIBRIS

COPIORIS HUMANI PARTITAE

Quanquam multa sint, ad ipsas artes proprio non pertinentia, tamen eas
adiuant, excitando artis ingenium. Itaque ista quoque naturae rerum contem-
platio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit. Pro-
fecto verisimile est, et Hippocratem et Erasistratum et quicunque alii, non con-
tenti febres et vlcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati-
sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo quoque maiores medicos ex-
titisse.

Corn. Celsus L. I. praef. EST HABITAT A SPATIATIONUM SPICIMINI

ALVATI SANCTI PROPHETIA

EX LIBRIS IN HONORIS

BIBLIOTHECA

REGIA ACAD.

GEORGIAE

AUG:

EDIDIT MICH. DEQ. DEQ. DEQ.

10. FRIID. DILMENIACH

EDIDIT MICH. DEQ. DEQ. DEQ.

GOTTINGER

EDIDIT MICH. DEQ. DEQ. DEQ.

et lo. Et de Le. ex parte. veritate. distingue. occurrer. scilicet
se solidi corpora humanae. nubes. perpende. et. .
imo aero. tunc et aere. eos. foliis. sive. impone. con-
cedo. gnum. quo. ob. occultatissimum. corporis. eo. secundum. le.
fuerit. duo. aere. his. ab. diu. ignis. aere. aere. rur.
fusione. et. levitatis. possit. esse. causa. diu. sive. se. sed.
tum. aero. atroscopicus. hujus. et. scilicet. aere. aere. aere.
et. aere.
P r a e f a t i o.
Quae de singularium quanundam corporis humani partium
vix propria tum alias, tum praesertim in institutionibus
physiologicis a me disputata sunt, iuxti plurium virorum egre-
gie physiologice doctorum suffragium, ita aliorum nonnullorum
censuram tulerunt. ^{a)} Eminentes in his postremis duum
virorum Italorum nomina, Aglietti a) inquam et Gallini b),
medicorum celeberrimorum: quorum maxime huic vitam istam
propriam breui manu ad qualitates occultas referre placuit.

Quae quidem cum legerem, neque miratus sum, neque
indignatus.

Haud insuetam enim esse eam loquendi aut comparandi
formulam quibusdam Italis physiologis, quando de aliorum

A 2 circa

a) In *Giornale per servire alla Storia ragionata della medicina di questo Secolo.*

T. VI. n. 10. Aug. 1770. et. Ann. 1771. et. 1772. et. 1773. et. 1774. et. 1775. et. 1776. et. 1777.

b) v. Ej. *Saggio d'Osservazioni concernenti li nuovi progressi della Fisica del corpo*

humano. 1772. et. 1773. et. 1774. et. 1775. et. 1776. et. 1777. et. 1778. et. 1779. et. 1780.

circa vires vitales laboribus iudicium ferunt, pridem noram; cum vel ipsius Halleri de irritabilitate sententia itidem a binis Italibus, iisque non insimi subsellii physiologis, Jo. Bapt. Bianchi et Jo. Bapt. Fè expressis verbis qualitatibus occultis accensa fuerit c).

Imo vero recte et vere eos loquutos esse, lubens concedo, dummodo occultarum qualitatum vocibus eo sensu vni fuerint, quo vnicet has de quibus agimus virium vitalium species iisdem appellari posse sanus quisque et doctus et aequus fatebitur, vt scilicet determinationem aliquam corporis notet, cuius ratio sufficiens ex partium componentium indole, structura, et mechanismo reddi a nobis nequeat d). Id solummodo tunc non capio, quomodo tantum vitam propriam aut irritabilitatem meo referre potuerint, cum me quidem, cum aliis candidis naturae cultoribus, in ea opinione semper fuisse profitear, quicquid est virium vitalium, quod nempe causas et naturam earum spectat; si quas vnuquam, in vniuersum pro longe maxime occultissimis habendas esse e).

Eidem

e) v. Opuscoli di vari autori sulla irritabilità Halleriana, raccolti da Giac. Bart.

Fabri T. II.

d) v. Hollmanni primae lineae philosophiae naturalis.

e) Vis actuosa, s. impetum faciens, s. sensilitas, s. irritabilitas, s. vitalis dicta, natura sua non cognoscitur. Fr. Bern. Albini,

aliquid, quod popo incognitum in corporibus viuentibus etc. Jo. de Gorter.

scio Life is a property we do not understand. Jo. Hunter.

C'est une ignorance bien profonde que celle où nous sommes, de la nature intime ou de l'Essence des diverses forces répandues dans l'Univers, et en particulier de celles qui constituent la vie dans le végétal et dans l'animal. C. Bonnet.

Similes aliorum confessiones cito in L. über den Bildungstrieb. ed. 3.

Eidem doctae ignorantiae tribuendae tum multifariae et mirifice abinuicem differentes notiones et definitiones, quas de vi vitali et ipsa vita exhibuerunt physiologi; tum vero infiniti eorum dissensus circa sedem vitalitatis, num v.c. vni-
ce solida corporis humani eadem praedita sint, an quoque fluida; et posito hoc, num tantum sanguini insit, an vero quoque reliquis humoribus; quod vero solida attinet, cuinam eorum parti constitutuae proxime inhaereat, num v.c. glutini? item, num omnibus corporis nostri solidis conueniat, nec ne? porro, num vicia saltem sit vitalitatis species, num plures ab inuicem distinctae vires, vitalium communi nomine comprehensae? et quae sunt id genus problematicae quaestiones aliae, nimis sane aperte demonstrantes, quam occultae adhuc lateant, tanquam in Democriti puto, qualitates ipsarum de quibus agimus virium vitalium.

Minime vero obscuritas ista, qua haec summae dignitatis doctrina adhuc premitur, quenquam absterret veri cupidum, quin diuersissimas hypotheses super quaestionibus istis formatas, ponderet: iis autem, quae ipsi prae reliquis rerum naturae eiusque phaenomenis consentanea videantur, tanquam verisimilis calculum suum adiiciat, et quae ipsi tum obser-
vando, tum meditando ad illustrationem eorum facientia oc-
current, suo iure liceat defendere. Qua quidem licentia et ego vtar, et quaedam tum de vitalitate putativa sanguinis, tum de vita propria in quibusdam corporis humani organis, vt mihi quidem videtur, haud insitianda, proponam. Quae tamen (vt summi Harveyi verba quodanmodo mea faciam) a me super hac re dicentur, non ita accipi velim, quasi ea e tripode prolata existimem, aut aliorum omnium suffragia ex-
torquere cupiam: sed libertatem illam, quam aliis libenter

concedimus, nobis etiam iure merito poscimus; ut, quae in obscuris rebus verisimilia videntur, ita offerre liceat, ut, quod Cicero ait, refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati simus.

I.

De via vitali sanguini deneganda.

Vt argumentum de vi vitali sanguinis, antea iam a me singulari libello tractatum, recognoscerem, praeter alia in primis me mouit classicum, quod nuper ad manus venit, desideratissimi Jo. Hunter de sanguine opus posthumum, cuius non exigua pars in vindicanda sanguini vitalitate versatur. Operae pretium itaque duxi, intactis iis, quae iam ante octennium super ea re a me dicta sunt, principalia ex iis enarrare, quae me ab eo inde tempore magis magisque in ea, quam tum defendi, sententia vltro confirmarunt.

A priori ergo quod aiunt, nullam in vniuersum patere rationem, quidni et fluida vitalitate praedita esse possint, id quidein eo lubenter concedo, quo magis ipsae de fluiditatis essentia notiones relativa et ambiguae videantur; quodsi v.c. fugacissimos muores similiaque vegetabilia humidissima et tenerima cum tenacibus resinis compares, aut pulli in ouo recenter incubato prima rudimenta gelatinosa, in ouo vero et in ouo infoecundo cicatriculam f) cum picea amurca, quae in

f) Hanc enim cicatriculam aequa ac membranas peculiares in ouo conspiciens pro solidis, et quidem in recenti ouo, etiamsi cygnorum fuerit, pro soli dis

folliculis moschi aut castorei secernitur. Ita et' cruoris globuli quod soliditatem attinet vix ac ne vix quidem tot animalculis infusoriis cedere videntur: etsi neminem ynquam vel ex strenuissimis vitalitatis sanguinis defensoribus eam ob speciem aliquam soliditatis istos ipsos globulos viuos dicturum aut cum vermiculis quos diximus comparaturum confidimus, cum non nisi inactuose et singulatim reliquae sanguinis massae eos innatare autopsia doceamur.

At vero sanguineum fluentum materiem tamēn continere contendunt, ex qua omne solidum virum nutriatur. Quam parum autem roboris insit eiusmodi ratiocinio, vel hyacinthi me monent, quos, dum haec scribo, ante oculos habeo, laete iam virentes, etsi bulbi eorum a pluribus retro generacionibus vnice aquae fontanae superficie impositi sint; quod quidem aqueum elementum itidem materiem plantae suppeditare lubens do, etsi nunquam mihi persuaderi patiar, ideo et vitalitatem ipsam eidem fontanae aquae inhaerere.

Requiritur quidem humiditas in solido viuo, ut vitalitatem suam actu exserere possit. Tantum vero abesse, ut humidum aliquamdiu vitalitate quadam praeditis, habendam esse puto; quod sane nemini absconum videbitur, qui recentis oui interiorum fabricam subtilius scrutatus membranas eius cum similibus simplicissimorum animalium, v. c. cum vesiculoso sacco vermium ex hydatidum genere comparauit. Inprimis vero illud memorabile, quod neglexisse videntur qui ono nuper ad vitalitatem sanguinis demonstrandam vsi sunt, etsi iam a magno Harvaeo annotatum fuit, putridam in ono corruptionem in ipso cicatriculae loco incepere, documento, tamdiu solum integros manere oui succos quamdiu solidis quae diximus vitalitas inest, quae quidem in cynosuris ouis minor et fugacior quam in foecundis, quod ipsis vnice a matre absque masculi seminis contagio vita ista minima communicata fuerit.

humidum illud ipsum vitalitate praeditum esse debeat, notissimis exemplis viuentium ex utroque regno organicorum corporum docemur, quibus mera aqua eo scopo sufficit, imo quae deficiente ea, exsuccta quidem et exsiccata omnis vitae orba et experientia videntur, attamen vitale principium eatenus conservarunt, ut, aqua tantum denuo irrigata, reuiuiscant, et functiones oeconomiae suae organicae denuo continuent.

Idem testantur semina plantarum, quae, etsi per integrum secula sicca seruata fuerint, nihilominus principium vitale ita retinuerunt intemeratum, ut, postmodum terrae gremio commissa, rite germinarint ^{g).} His ergo vitale principium tenacissimum et quod et in exsucco corpusculo alto somno sopitum, simplicis aquei stimuli accessu denuo excitari potest.

Perfectioribus contra animantibus, ut vulgo vocantur, vitalitas maxime mobilis, et quae humore stimulante longe magis compositae indolis, sanguine nempe, indiget. Attamen neque ratio, neque experientia istum ipsum humorem, etsi magis compositum, reapse vitalitate praeditum esse, demonstrant. Imo vero si a simplicissimis corporibus organicis per animalium exsanguium (ut antiquitus appellabantur) ordines progrediaris, et in his praesertim ea cogites animantia, quae, ut tot erucae, omni systemate arterioso aut venoso plane destituuntur, hincque ad frigi, sed iam rubri sanguinis classes, demumque ad ipsa calida pergas, nullum in ea scala terminum figere licebit, ubi primum vitalitas humoris, animale solidum viuum irrorantis, siue a priori requiratur, siue observatione demonstrabilis fiat.

Verum ^{g)} generosi et doctissimi viri March. de St. Simon egregium opus, des lacantes. it. Swietenii Comment. T. IV. capite de podagra.

Verum ad incorruptibilem sanguinis integritatem provocant, qua per omnem vitam intemeratus perennet, quamque propriae eius vitalitati tribuendam, hancque ipsam exin demonstrandam censem.

Candide profiteor, me vim huius in demonstrando circuli, ad sanguinis vim vitalem probandam, omnium minime percepisse; cum mihi quidem ipsa ea sanguinis in corpore viuo integritas multo facilius et simplicius ex perpetuis vicissitudinibus explicanda videatur, quas partes eius constitutiae patiuntur. Ab una parte recens chylus aliaque absorpta ad sanguinem accendentia; ab altera nutritius succus aliique humores secretione ab eo subtracti. Omnium maxime vero continua elementorum eius principalium permutatio, ope phlogistici ut quondam audiebat, processus: quae, quanti momenti sit, vel vnica respirationis functio facile docet, (vt consentientia organa, integumenta scil. communia et tubum intestinalem taceam,) quae quauis inspiratione nouum oxygenii haustum in pulmonibus admiscet sanguineae massae, quauis hora ad minimum vicesies viuos istos folles perfluenti.

Denique et hoc pro vitalitate sanguinis argumentum in medium proferunt, quod plastica vi gaudeat, dum lymphatica eius pars in solidas crustas coaguletur.

Quae ad hoc respondendum habeam, ii, quorum interest et qui rem serio agunt, tum in priore illa commentatione *de vi vitali sanguinis*, tum in libello *de nisu formativo*, maximam partem iam exposita reperient, facileque intelligent, ipsissimam eam ob causam nisus formati vocibus me usum

esse, quod vim denotet, ab ea probissime distinguendam, quam veteres vago vis plasticae nomine appellarunt.

Plasticam equidem vim, si nudam vocem saltim spectes, utique in coagulo crustae pleuriticae, ut vulgo vocatur, agnosc: non maiori autem ratione illud coagulum vi vitali sanguinis tribuendum esse censeo, quam si quis silicis Aegyptiaci formam, itidem coagulatione ortam, nescio cui vitalitati liquoris silicei tribuere velit. Nisi forte cum Mazino, strenuo sub initium huius seculi iatromathematico, ipsam foetus formatiō nem ad crystallisationem, ut vocant, referre ipsi placuerit.

Nisus ergo appellatione eo fine vsus sum, ut ipso eo verbo statim vitalem energiam denotem, cuius efficaciam in triplicis ordinis phaenomenis formatiuis oeconomiae organicae, *generationis* scilicet, tum *nutritionis*, denique vero *reproductoris*, ulterius indagaui.

Gaudeo tum summos physiologos, tum acutissimos philosophos, e Kantiana praesertim schola, mentem meam non solum exactissime cepisse, verum et doctrinae de nisu formatiōe calculum suum adiecisse.

Qui contra vim plasticam pro synonymo nisus formatiū venditant, ii aut huic a meo alienissimum sensum tacite subiiciunt; aut vice versa auctoribus doctrinae de vi plastica ea tribuunt, imo obtrudunt quasi, de quibus, quantum ego quidem noui, nullus eorum cogitauit. Siquidem repetitis vicibus, at hactenus incassum, petii, ut mihi nominetur, si quis eorum eadem ratione in illustranda natura organica principium physico-mechanicum demonstrationi mere teleologicae iunxerit, ut pote in quo connubio cardo totius de nisu formatiōe doctrinae versatur.

Si quis autem vnice verbis adhaerescens nisum formatiuum ob vocum affinitatem cum *vi* plastica confundit, caneat is, ne eadem ratione eodemque iure calidum innatum veterum, pro eodem cum recentiorum de calore animali decretis habeat.

Verum ad alterum disquisitionis argumentum redeamus, unde ipsa primum orsa est, vitam inquam propriam nonnularum corporis animalis partium.

II.

*De vita propria solidis quibusdam corporis
humani partibus adserenda.*

Per innumera scripta perque magnae contentionis disputationes a physiologis toties agitatam nouimus quaestionem, num diuersa vitalitatis in solidi viui partibus similaribus phænomena, ad varias tantum modificationes vt vocant, vnius eiusdemque vis vitalis, an vero potius ad distinctas eius species referre conueniat. Similis disceptatio et inter physicos inualuit, quorum alii physicas materiae vires vnice ad attractionem referre studuerunt, alii eas plures ac diuersas esse statuere. Quid quod nec defuerunt egregii physiologi, qui et ipsam vitalitatem attractionis speciem facerent *h).*

Alias iam non vnam rationem reddidi, quare consultius mihi videatur, plures ab inuicem distinctos virium vitalium ordines statuere: quae quidem commode ita mihi constituaevidentur, vt praeter *nisum formatiuum* omni solido viuo

B 2 commu-

h) The attraction of life. ita cl. G. Fordyce on muscular motion in *Philosoph. Transact.* vol. LXXVIII.

communem, reliquas in vniuersales et proprias dispescam. Il-
lorum quidem nomine *contractilitatem* telae mucosae, quam
vulgo cellulosam vocant; tum *irritabilitatem* s. vim muscu-
larem; denique *sensibilitatem* s. vim nerueam designo; hos vero
vitae propriae appellatione comprehendendo.

Plures vero ex his virium vitalium modis etiamisi eos
pro diuersis ordinibus habeas, nihilominus tamen intimo nexu
conspirare, vix monitu opus est, cum v. c. in tot partibus
contextus mucosus, basin earum (simul vero contractilitatis se-
dem) constituens, etiam muscularibus fibris, quibus irritabilitas
inhaeret, et neruis sensibilitatis organis, intertextus sit.

Ino vero et hoc lubentes concedimus, dari subinde
phaenomena, in quibus difficile sit dictu, ad quamnam istarum
virium vitalium ea potissimum referas?

Hoc vero nihilominus rationi aeque ac experientiae con-
sentaneum videtur, vt alia iterum phaenomena, quae in orga-
nis conspiciuntur, respectu fabricae et texturae ab omnibus aliis
differentibus, et quae actionibus sese manifestant itidem plane
singularibus et in suo genere vnicis, vt haec inquam vitae
potius propriae tribuamus, vsque donec demonstratum fuerit,
tum organorum horum fabricam, tum vitalem eorum agendi
rationem ad communium ordines referandam esse.

Minus certe tunc errabimus, quam si eas praepopere vni
alteriue communium virium vitalium ordini intruderemus.

Facile exinde patet, quomodo ea, de qua hic agitur,
vita propria eo quem modo explicauimus sensu differat ab
aliis

aliis vis vitalis phaenomenis, tum simili nomine insignitis, tum prava interpretatione cum ipsa ista minus recte confusis.
 Longissime itaque differt is sensus ab eo, quo cl. Willdenow vitae propriae denominatione vtitur, cui quippe ea synonymon est omnis vis vitalis in vniuersum i).

Porro ab eo principio vitali differt, quod ex Jo. Hunteri sententia diuersis corporis animalis partibus ita inest, vt et postquam a reliquo corpore diuulsae fuerint, aliquamdiu adhuc ipsis inhaerens remaneat, cuiusque ope eadem adhuc recentes denuo siue eidem siue alieno corpori viuo inseri possint k).

Multo minus vero eam relationem hue pertinere, quae solidum vinum et stimulos in id agentes intercedit, rationem inquam, qua illud, siue pro varietate organorum, siue pro diuersitate subiectina aetatis, sexus, temperamenti, idiosyncrasiae, consuetudinis, vitae generis etc. aliter atque aliter ab his afficitur, hoc quidem per se adeo luculenter patet, vt vix istius irritabilitatis specificae, vt Angli nuperi primo appellarunt, mentionem hic loci iniicerem, nisi, quod equidem miror, ab egregio ceteroquin auctore, expressis verbis istam de qua agor vitam propriam cum hac irritabilitate specifica confusam viderem l).

Propius

i) v. Ei. *Grundriss der Kräuterkunde.*

k) v. Ei. *natural History of the human Teeth.* P. I.

l) Est is cl. Gautier, qui in diss. de irritabilitatis notione, natura et morbis, Halae 1793 edita, non maiori iure vitam propriam cum irritabilitate specifica confundit, quam hancce ipsam sibi vindicare annititur, siquidem vel toto fere instro ante dissertationis istius editionem cl. Blane medicus Londinensis ce-

Propriis sâne ab ea vita propria abesse videtur (quantum nempe ex mystico et obscuro auctoris stylo conjectura assequi licet) vita participans Helmontii patris *m*); omnium proxime autem actio viuentium particularis grauis physiologi, Jo. de Gorter *n*); qui tamen in eo modum longe excessisse videtur, quod tantum non omnibus corporis humani partibus actionem particularem tribuerit, tantum non omnes functiones a totidem particularibus actionibus deriuauerit.

Quanquam enim ab una parte sapientissima sit summorum virorum praemonitus, ne nimio simplicitatis et parsimoniae studio in viribus aequo ac materiis elementaribus rerum naturae constituendis et fallamur et fallamus *o*); canendum tamen etiam ab altera parte et in hoc studio ut alias, ne entia quod dicunt, citra necessitatem multiplicentur *p*). Ideoque non nisi paucis istis organis vita propria tribuenda, quae, ut fabrica singulare, ita motu et functione tam peculiari et quasi

anomala liberrimus eandem relationem quae solida viva et stimulus in ea specifico agentes intercedit, eodem nomine (*— the specific irritability —*) distinxit eiusque in oeconomia animali dignitatem uberioris exposuit. v. Ei. *Lecture on muscular motion 1783*.

m) cf. v. c. *Supplementum operum eius*.

n) v. Ei. *Exercitatio medica quinta*.

o) Combien ne voit-on pas de phénomènes, où, avec des ressemblances, il y a des différences! Mais on confond tout cela, sous prétexte de simplifier; comme si la variété des Phénomènes n'indiquoit pas de la variété dans les Causes! cl. De Luc.

Ego vero dudum experior, rârissime eas rerum naturalium interpretationes (phaenomenorum physiologicorum) firmas esse, quae eleganti simplicitate speciem veri imitantur. Haller.

p) Causae rerum naturalium non plures admitti debent, quam quae et verae sint et earum phaenomenis explicandi sufficiunt. Ideoque effectuum naturalium eiusdem generis eadem assignandae sunt causæ, quatenus fieri potest. Newton.

anomala a ceteris abhorret, vt hactenus vix ac ne vix quidem ex vniuersalium vitalitatis ordinum legibus explicari possit.

Ideoque aut characteres horum ordinum reformare, nosque constituere, limitesque eorum proferre oportet, aut, donec id factum fuerit, eas peculiares plane functiones, quibus ista organa singularia sunt conspicua, e vniuersalium virium vitalium ordinibus remouere et vitae propriae denominatione distinguere liceat.

Exempla eiusmodi partium, quae eo nomine vita propria gaudere dicendae videntur, alias excitaui; eamque passim ab acutissimis physiologis vltro illustratam et ornatam vidimus; vt nuperime adhuc a cl. Brugmans exemplo vitalitatis vasorum absorbentium q).

Vnicum ergo coronidis loco in medium protulisse, s. potius in lectorum memoriam tantum reuocasse sufficiat; vteri inquam, tam fabrica singulari, quam functionibus suis, praesertim si eas per diuersas animalium classes et ordines prosequaris, adeo memorabilis, vt instar omnium ad illustrandam, de qua agimus, vitam propriam inseruire possit.

Nolo equidein recoquere quaestionem toties nuperis temporibus et tam diuersimode exagitatam, num vtero textura musculosa sit, nec ne? Fatebuntur tamen assertores eius, fibras quas in eo supponunt, si quae sunt, certe ab omnibus aliis in vniuerso humano corpore qualitatibus suis mirum quantum abhorrere.

Quod v. c. iisdem sub conditionibus, summa nempe dilatatione, demum visibiles fiant, sub quibus alii musculi (v. c. recti

q) v. Conr. Ger. Ontyd diss. de causa absorptionis per vasa lymphatica 1795.

recti abdominis ipsa sub grauiditate) ita extenuantur, vt fibrae eorum fere visum fugiant.

Quod porro iisdem sub conditionibus vehementissimum robur exserant, sub quibus alii musculi debilitantur, imo (quod itidem in rectis abdominalibus subinde videre est) fere paralyticci reddantur.

Quod denique non vt alii musculi diurnae quietis torpore inhabiles fiant, sed tam paucis saltem vicibus per integrum vitae humanae cursum ad partum excitatae, tam violentos nihilominus tunc motus cieant.

Verum quot inquam et quanta alia, praeter enarrata, phaenomena plane singularia et in suo genere vniuersali hu- mani functiones exhibent.

Vnica haec pars est in statu sano et secundum naturam suam haemorrhagiis periodicis obnoxia.

Vna secundum naturam, oestro nempe venereo percita, inflammationis symptomata praebet, adeo, vt et inflammatorum viscerum more, plasticam lympham in cauum suum exsudet, quae caducam s. deciduam crassam formet. Idque etiamsi foetus non in ipso isto cauo, sed in tuba alterutra conceptus fuerit. Quo etiam conceptu extrauterino non obstante, idem tamen uterus tempore statuto, quando nempe partus instare debebat, etsi vacuus, nihilominus tamen cruciatibus suis afficitur.

Idem porro ipsius quod modo diximus memorabilis phaenomeni, oestri nempe venerei sedes, aut saltem fons primarius r).

r) Primum, quantum noui, obseruante Jac. Berengario quem vulgo, a patria, Carpum vocant, in historia quam de muliere refert cui pater eius uterum extir-

Et quam mirabilis quaeso, fimbriarum, eodem sub oestro ad ouariorum statuta loca, quibus nempe naturae disruptioni vesiculae Graafianae inhererent, applicatio, iam in muliebri aliorumque mammalium vtero admiranda, maxime vero in auibus, quod quidem quisque fatebitur, qui vel semel gallinae oua ponentis genitalia, praesertim vero infundibuli fimbriati in extre-
mo ouiductu ostium, eiusque ad vitellos maturos calycibus suis inherentes, habitum et relationem curatius paulo indagauit.

Omnibus his rite pensatis et inuicem comparatis mo-
veor, vt vtero (miraculo isti naturae vt Swammerdamius voca-
bat), si cui vnquam parti corporis animalis, vitam propriam tri-
buam, veteresque eundem metaphorice quidem, ast non inepte,
animal in animanti appellasse censem.

*extirpauit. post hoc — inquit — semper fuit sanissima exerceendo negotia
familiaria, cum ea etiam maritus coit; — ipsa tamen nullam habet delecta-
tionem in coitu.*

Haec vt praefarer, ansam praebuerunt septemuirii do-
ctissimi, quibus, postquam res, quae ex legum praescripto sui
officii erant, strenue gesserant, auctoritate ordinis medici sum-
mos in arte salutari honores contuli, quosque vitae suae cur-
riculum, quod vocant, enarrantes audiamus.

I.

JVL. LEOP. THEOD. FRID. ZINKE dictus SOMMER
Brunsvicensis.

Natus sum a. 1770. Pater mihi est Carolus Fridericus Zinke, Duci Serenissimo Brunouicensium ab aulae consiliis; adoptauit me autem Johannes Christophorus Sommer Medicus ille Brunsvicensis. Patriae urbis gymnasia frequentauit, Catharinenum, Martineum et Collegium Carolinum; Cl. Drude, Catharini Directori, Doctissimo Bosse, Martinaei Rectori, et Celeberrimo Waeterlingio eiusdem Gymnasii Correctori, prae ceteris Linguae latinae cognitionem debo: Illustris Zimmermann Geometriam, Arithmeticam, Geographiam et Physicen; Laudatissimus Eschenburg linguam germanicam emendatiorem, Doctissimus Lüder historiam politicam, Clarissimusque Boutmy linguam Gallicam me docere studuerunt. Cel. Hildebrandt anatomicas, patrisque mei chirurgicas präelectiones frequentauit. Tandem ineunte hieme a. 1790 contigit mihi, ut Almae Georgiae Augustae ciibus a summe Venerabili Less adscriberer, neque unquam felicem me prädicare desinam, quod Academiam hancce omnium sane celeberrimam frequentare mihi licuerit, cui, si quid acutioris doctrinae perceperim, omne me debere gratis confiteor. Frequentauit quidem ill. Gmelini lectiones chemicas; adfui ill. Wrisbergio quum doctrinas corporis humani anatomicas, secundique artem, atque neurologiam, physiologiam, doctrinamque de vasis absorbentibus traderet. Intervui quoque ill. Richteri lectionibus medico chirurgicis, excercitationibusque clinicis; ill. Blumenbachium pathologiam exponentem audiui: präterea b. Murrayo materiam medicam, Buhlioque philosophiae principia illustranti fui discipulus. Iam in eo eram, vt quae

sub

sub optimis sane auspiciis, in alma hac academia inceperam studia, in eadem continuarem atque perficerem, quum Munguntiam euocarer: Frequentauit ibi Celeberrimi Soemmeringii lectiones anatomicas, secandi simul corporis humani artem exercens, atque Wedekindii institutiones super Therapia speciali, morbisque venereis adii. Postea Jenam me contuli, Celeberrimique Loderi scholis anatomicis, osteologicis atque chirurgicis, nec non exercitationibus clinicis, quas cum clarissimo Hufeland instituebat, interfui. Cel. Grunerum audiui therapiam generalem atque Semioticen, Starkiumque therapiam specialem tradentes: botanices cognitionem duce Cl. Batsch comparare mihi studui. Adscripsit me Idem societati physicae cui praest. Per hiemem, in patria commoratus sum domo, priuata simul usus patris institutione; ineunte vero aestate, Gottingam redii, atque ill. Richteri lectionibus de morbis chronicis, eiusdemque exercitacionibus clinicis denuo industriam meam dican.

Examini, vt iam diximus, aequae ac sequentes seni comilitones doctissimi, rite et cum laude defunctus, d. 5. Septbr. dissertationem inaugurelam de maxillae inferioris luxatione, publice defendit.

II.

CAROLVS HIMLY Brunsuicensis.

Ortus sum d. 30. Apr. 1772 parentibus Francisco Ludovico Himly, Neostadiensi helueto, interiori admissioni Brunsuicensi ab epistolis, et Margaretha Lucia Grupe, Hannouerana. In gymnasii Catharineo et Martineo, tumque annis 1790 et 91 in Collegio Carolino praeceptoribus usus Gaertnero, Schmidio, Eberto,

Eberto, Eschenburgo, Emperio, Stuvio, Boutmyo, humanioribus studiis quae dicunt, operam dedi. Zimmermanni, cuius frequentiori consuetudini multum debo, paelectiones physicae Stuviique anthropologicae tantum in me excitarant penitus cognoscendae naturae desiderium, ut Hildebrandi, Professoris tunc temporis in theatro anatomico-chirurgico brunsvicensi in physiologiam, osteologiam, pathologiam et therapiam generalem, inde ab aestate 1790 adirem paelectiones, hiemeque sequenti paelectionibus eius anatomicis adesse, et magnam diei partem in sectiones cadaverum impenderem. Complexu itaque scientiarum medicarum aliquantum cognito vnicet illis operam meam dicare constitui, ideoque Institutum illud egregium secundum per annum denuo frequentaui, alteramque adhuc per hiemem in secundis cadaveribus me exercui, breuemque therapiae specialis delineationem audiui. Paelectionibus hisce debo, quod paschate a. 1792 hanc musarum sedem adire, maioremque ex Vestris, Viri Illustres, paelectionibus colligere fructum, pluribus interesse citiusque adeo in studiis meis progredi potuerim. Nunc ad illam narrationis de vita mea accedo partem, quae gratissima mihi est, qua nempe ill. Gmelini paelectionibus in chemiam et pharmaciam interesse, ill. Wrisbergium physiologiam, demonstrationes anatomicas et neurologiam docentem audire, ab ill. Richtero therapiam generalem et specialem, chirurgiam et medicam et manualem, morbos oculorum et ossium doceri et inde ab octodecim mensibus ab eo in Nosocomio academico institui mihi contingeret; ill. Blumenbach paeceptorum summa pietate colendo pro eo, quod in historia naturali, physiologia, anatome comparata et historia medicinae literaria me instituit, maximas habeo gratias. Praeterea apud ill. Stromeyer therapiam specialem audiui et sub eius auspiciis per annum aegrotos

aegrotos curauit. Porro viri illustres, Osiander artem obstetriciam, Hoffmann botanicen, Lichtenberg physicen me docuerunt.
— Denique haud sine animi motu atque pudore duorum quae mihi felicia contigerunt mentio adhuc facienda est: unius, quod preceptor pie venerandus Richter nosocomii academicci curam suis sub auspiciis mihi committeret gerendam; alterius, quod facultas medica, commentationem meam historiam mortis sistentem prae-mio regio dignam iudicauit.

D. 6. Sept. cathedram ascendit vir eximius, et dissertationem obseruationes quasdam circa epidemiam huius anni dysentericam sistentem, exhibuit,

III.

CHRIST. THEOPH. STEINECKE Wismariensis.

*Natus sum 4. Cal. Septembbris 1762. — Patrem veneror Bernhard Dietrich Steinecke M. D. Regis Sueciae a Consiliis aulicis et Medicinae Practicum apud Wismarienses, matrem Mariam Julianam, ex familia Jungensi. Ab undecimo aetatis anno sci-
tiis, quae vitae academicae praevire solent, me erudiuit insignis Pastor Schwerdtfeger, optime de me meritus; quibus satis in-
structus, annumque 17. agens, in celebrem academiam Halen-
sem me contuli, ubi preelectiones anatomicas ac physiologicas ill. Meckelii, Therapeuticas, easdemque de medicina forensi ill. Reilii, physicas, chemicas ac pharmaceuticas ill. Grenii,
pathologicas Celeberrimi Juncheri frequentabam, simulque bo-
tanicas Cl. Junghansii, et logicis Cl. Jacobi interfui. Duo-
bus annis cum dimidio peractis Berolinum petens, preelectioni-*

*bus chirurgius ill. virorum Mursinnae ac Zenkeri, et obstetriciis
Celeberr. Walteri auditorem me exhibui.*

*Deinde in patriam reuersus, literarum studia sedulo re-
petens, duce patre carissimo, praxi medicae addiscendae et
exercendae operam dedi. Quibus scientiis finem imposituro,
hancque praestantissimam musarum sedem adeunti, ex insignium
Praeceptorum, summa obsequendorum pietate, recitationibus
usum percipere mihi contigit. vbi ill. Blumenbachii praelectio-
nibus physiologicis, ill. Wrisbergii anatomicis et obstetriciis,
ill. Richteri chirurgicis de oculorum et ossium morbis, clinicis-
que, dein ill. Gmelini Pharmaceuticis, nec non ill. Stromeyeri
therapeuticis et clinicis, ac ill. Osiandri obstetriciis theoreticis
et practicis eruditus sum.*

*Disputauit d. 10. Sept. de methodo antigastrica eiusque
noxa.*

IV.

G. JVST. FRID. NÖLDECKE Luchovia Luneburgensis.

*Natus a. 1770 die 16. Martii, parentibus mercatoribus, patre
Ludouico Justo Nöldecke, concionatoris pagani filio, matre ex
Mülleriana gente ibidem orta, quum agerem 16. annum, Lune-
burgum me contuli, vt, quas domi duxeram, literarum primas
lineas excolerem ulterius, rectore Nicolao Niclas, correctore
Krakow.*

*Expleto hic triennio pater me Hammoniam deduxit, vbi
frater patrue lis eius Büsch mathesin profitebatur. Hic me ci-
vium Gymnasii et Academiae, quam ipse dedicarat Mercurio,
numero*

numero adscripsit suisque scholis adhibuit tam mathematicis,
quam historicis numariisque; eius autem vterque collega, Ebeling
archaeologam, Giesecke vero botanices me docuit elementa prima.
Anni ferme spatium hac in vrbe commoratus ad patrios redii
lares, ubi quum aestatis otia mansuetiores inter Musas ad sol-
stitium vsque hiemale anni 1790 transegisset, iussus sum adire
Berolinum, ut praelectionibus Walteri anatomicis, Mayeri phy-
siologicis, Mursimiae obstetriciis ac chirurgicis, chemicis Hermb-
staedtii, Gönneri pathologicis adque mater. med. spectantibus
interessem, quibus per sesqui annum data opera, regiam illam
urbem cum natali oppido commutaui, nempe, exacta istic aestate
anni 92, ad hoc literarum ac scientiarum emporium profecturus.

Nec multo post ipsam salutauit Georgiam Augustam,
vbi gausus sum semperque gaudebo frequentasse me Inlyto-
rum Virorum, praeceptorum summe reuerendorum scholas ill.
Wrisbergii anatomicas, de neruis, visceribus vasis lymphaticis,
eiusdem porro pathologico anatomicas, medico-forenses, phy-
siologicas, atque obstetricias, nec non institutiones, quae priorem
medicinae partem complectuntur, ill. vero Richteri docentis thera-
piam generalem, capita chirurgiae selecta, morbos chronicos at-
que acutos, signa morborum generalia, chirurgiam medicam
atque manualem, morbosque oculorum, eiusdem aequae ac ill.
Stromeyeri exercitationes clinicas, ill. denique Blumenbachii hi-
storiā tradentis naturalem.

Haec fere pauca sunt, quae ex primo transactae vitae
stadio repetita, mentione digna existimauit.

D. 27. Sept. dissertationem defendit pathologiam siste-
tem phthiseos hepaticae.

ANSELMVS WOLF Francofurtensis.

In lucem editus sum anno 1773 m. Aprilis. Patre vtor Simone Wolfio Medicinae Doctore, et Matre Charlotta ex gente Swab. Carissimi hi parentes, qui adhuc in viuis sunt, pro quo beneficio Deo optimo maximo maximas ago gratias, magnam operam educationi meae impenderunt et curam animi fingendi et excolendi praeceptoribus domesticis demandarunt. Litteris elementaribus instructus patriam urbem reliqui et a. 1790 M. Nov. ad Academiam Moguntinam accessi, ut scientiae medicae vacarem. In numerum ciuum Academicorum a cel. Franke Academiae gubernaculum tunc tenente, relatus sum. Intra duorum annorum spatium, quod ibi commoratus, lectionibus Logices et Metaphysices cel. Dorschii, Physices theoreticae et experimentalis Prof. Bergmanni, et Mineralogiae et Botanices Prof. Fiebig, qui nuper diem supremum obiit, interfui. Tum praelectiones Anatomicas et Physiologicas et Anatoman Comparamatam ill. Sömmerringii, Chemiam et Materiam Medicam Prof. Molitoris, Chirurgiam medicam et artem obstetericam Weidemanni, Pathologiam et Semioticam Metternichi et Anthropologiam et Therapiam generalem Consiliarii Wedekindii audiui. Cum vero Francogalli Mense Oct. a. 1792 Moguntiam expugnarent, praelectiones strepitū et tumultu bellico intermissae sunt; quare ego me domum contuli. Postea negotiorum peragendorum causa Heripolin profectus sum. Quum vero mihi tempus a negotiis vacaret, occasionem in hac vrbe litteras medicas augendi non omittendam credidi, adeoque ill. Sieboldi Chirurgiam manualem audiui et multis sectionibus in cadaueribus, et operationibus in viuis hominibus ab eo factis interfui. Mox autem Heripolin

bipolin reliqui et parte Franconiae regionis peragrata tandem Goettingam perueni, vbi a. 1793 M. Aprilis ab ill. Runde inter ciues Academicos receptus sum. Ex paelectionibus ill. Richteri in duas partes Praxeos et oculorum morbos et lectio- nibus in Nosocomio habitis, et ill. Wrisbergii in Splanchno- logiam magna utilitas in me redundauit. Denique ill. Stro- meyeri Practicum et Clinicum et ill. Lichtenbergio Physicen ex- perimentalem non sine magno fructu audiui.

D. 30. Sept. disputauit de inuoluendis corporis humani ex- tremitatibus.

VI.

FRID. LVDOV. ANDR. KOELER Beedenbostelo - Cellensis.

Natus sum Beedenbostelae prope Cellas die vigesimo tertio Maii anni millesimi septingentesimi septuagesimi tertii. Patrem veneror Joannem Georgium Ericum Koeler, ministrum verbi di- vini, et matrem Joannem Luciam natam Jacobi. Optimi paren- tes, quos adhuc superstites mihi esse gaudeo, a primis pueri- tiae annis paeceptoris domestici, nunc beate defuncti Nieter institutioni me tradiderunt. Vir iste praestantissimus ad cine- res usque mihi colendus omnem adhibuit curam, ut in literarum et bonarum artium rudimentis rite imbuerer. Anno aetatis de- cimo sexto lyceum, quod Cellis est, frequentare coepi, ibique per biennium et quod excurrit, commoratus, paeceptoribus in- genio aequa ac doctrina conspicuis, Münter et Grünebusch usus sum. Eodem fere tempore collegio medico-chirurgico Cellensi nomen dedi et lectiones ill. Röques de Maumont in physicam at- que historiam naturalem, nec non Clar. Scheller in anatomen

D

atque

atque chirurgiam audiui. Clar. Heine in materia medica, pathologia atque therapia praceptorum habui. Institutionibus Excell. Leschen in Encyclopaedia medica vsus sum. Anno 1791 ad Academiam Jenensem profectus ibique ab ill. Heinrich, tunc temporis Prorectore Magnifico, in numerum ciuium academicorum receptus sum. Statim scholas medicorum adii, et praelectionibus ill. Loderi in physiologiam, anatomiam et chirurgiam interfui. Ill. Gruner semioticon et therapiam generalem me docuit, ill. Nicolai sectatus sum discipulus in pathologicis, Clariss. Batsch in botanicis et Clariss. Brückner in osteologicis, in materia medica Excell. Bretschneider, in chemia ill. Göttling, et in physica experimentali ill. Voigt ducem habui. Denique et magna cum utilitate praelectiones Celeb. Reinhold in logicam atque metaphysicam audiui. Elapso sesquenio inclytam Georgiam Augustam petii et a S. R. Plank, tunc fasces gerente, numero ciuium academicorum adscriptus sum. Copia hic mihi data est gratissima, audiendi ill. Wrisberg in anatomia et speciatim in splanchnologia, ill. Richter in therapia morborum acitorum, in chirurgia medica atque morbis oculorum, nec non ill. Blumenbach in anatomia comparata, atque historia naturali. In Therapia morborum chronicorum ill. Stromeyer vsus sum praceptorere eoque duce lectos aegrotorum adii, ill. Arnemann morbos ossium explicantem audiui. Artem obstetriciam ill. Osiander me docuit, ill. Althoff de lue venerea agentem audiui. Summa denique cum voluptate praelectionibus physicis ill. Lichtenberg interfui.

Omnibus hisce praceptoribus pietatis cultu sempiterno prosequendis gratias quidem, quas possum, ago habeoque maxumas, sed, quantum illis debeam, sentire magis quam verbis exprimere licet.

Disserta-

Dissertatio viri humanissimi d. 2. Octbr. ab eo defensa, de
odore per cutem spirante in statu sano ac morboso agit.

VII.

SELIGM. JOSEPH OPPENHEIM Francofurtensis.

*Natus sum a. 1767. Parentes veneror Joseph Mayer Oppen-
heim et Hane e stirpe Neuburgia, utrosque hodie superstites et
quod Deus faxit per longam annorum seriem futuros. A te-
nera mea aetate ad annum 14. Judaeorum more in scriptura sa-
cra veter. Test. et Talmud instructus sum. Ab hoc tempore ad
21. vitae meae annum a Praeceptoribus priuatis eruditus sum
in Geographia et Historia; in lingua Teutonica, Gallica, Latina
et Graeca; in principiis Philosophiae et Matheseos purae.*

*Anno 1789 Gottingam me contuli, et a Prorect. Magnif.
Runde numero ciuum Academicorum adscriptus sum: vbi pra-
electionibus interfui celeberrimorum virorum Murray b., Wris-
bergii, Richteri, Blumenbachii, Gmelini, Stromeyeri, Fischeri,
Osiandri, Lichtenbergii et Eichhornii, in Botanica, Osteologia,
Anatomia tam corporis humani quam comparata, Physiologia,
Pathologia generali et speciali, in Chemia, Materia medica,
Pharmacria, Therapia tam generali quam speciali, in Chirurgia
tam medica quam manuali, in morbis tam oculorum quam os-
sium, in capitibus selectis Chirurgiae, arte obstetricia, in Hi-
storia litteraria vniuersali et Physica experimentali. Adfui
etiam exercitationibus clinicis.*


*Et hic dignissimus candidatus d. 20. Oct. summos in arte
medica honores tulit.*


Addere

Addere liceat, ex septenis hisce viris; quos enarrantes
vitae suae laudabiliter gestae rationem audiuiimus, vnum, de-
sideratissimum nempe Steinecke, iam praematura morte rebus
humanis eruptum, e reliquis autem cl. Sommer medici aulici
dignitate, cl. Himly vero Professoris clinices munere in vrbe
natali ornatos esse; ceteros quaternos in patria sua magna cum
laude et popularium suorum applausu artem salutarem exercere.

Scr. Gottingae d. xxviii. Nov. MDCXCV.

(L. S.)





22486

Med. Physiol. 311



© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2010



QPCARD 201

